

Π i
2562

Sit BONA,

sit RECTE

Et SPONTANEA



moneta data.

جَمْعِيَّةٌ وَمَكْتَبَةٌ
بِمَدِينَةِ هَامْبُورْغِ

AERARIUM SACRUM,

In

INCLUTA ELECTORALI AD ALBIM ACADEMIA,

placidè

Oculis Curiosorum

PRÆSES

M. GEORGIUS MICHAELIS, Hungarus,

Seren. ac Potent. Elect. Saxon. Alumn.

Et

RESPONDENS

SAMUEL GERLACH, Schlichtingheimensis Polonus,

CALENDIS MARTII, A.O.R. c1o Ioc LXXXII,

Horis Matutinis, in Auditorio Minori,

aperiunt

contemplandum.



Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.



1770

ACTS

1770



ERARIIIM SACRIIM


M. GEORGII

1770

ACTS

1770





VESTIBULUM.

Non omne, quod splendet, aurum esse, tritum, nec mi-
nus in Naturâ, quàm Morum doctrinâ veritatem suam obti-
net effatum. Quod metallorum præstantissimi fulvum emula-
tur colorem aurichalcû, non raro nitido splendore mortali-
um adeò fascinavit oculos, ut serâ pœnitentia admissum revocare
optârint errorem. Optima quidem mater Natura, nunquam falsum intra vi-
scera concipit, nec talem in lucem edit fœtum, monstrosa tamen illum sepe in
cerebro hominum gignit opinio. Quot veterum placita, tanquam ex tripode
dicta, magno cum applausu recipiebantur, quos tamen umbram duntaxat
pro Junone tenuisse, subsequens detexit, multaq; alia detegit, si quæ futura
est, etas. Salsè ridebantur quondâ, limpidas ducti ad aquas, qui genus quod-
dam hominum, quod nobis adversa figeret vestigia, statuebant; imò illi, qui
invictâ veritatis se residere credunt in arce, fallaci quodam stimulati zelo,
ridiculum in Antipodum patronos, jam Europæis familiares, excommuni-
cationis vibrantes fulmen, rubore suffusi, admissam, sed sine effectu, abster-
gere conantur labem. Quis tam audax, tamq; profanus, qui superioris secu-
li, specioso sanctissimæ splendore Ecclesiæ coruscantis, & plenissimarum effi-
gie Indulgentiarum fulgentis monete, cujus tam validus clangor, ut quam-
primùm, Ærario immissa, sonitû ederet, vincula animarum, Purgatorii car-
cere detentarum rumperentur, Paradisiq; oppressulata portæ panderentur;
quis inquam hujus valorem in dubium vocâisset, quis non potius Tezelio, nu-
mismatis gnaro, fidem habuisset, nî Metallico Islebiensi profatus, in officinâ
Conflatoris Messie Mal. III. 2. probè versatus, arteq; discernendi metalla in-
structus Lutherus, lydiû cœlestis veritatis lapidem eidem admovisset, dumq;
examen non sustineret, adulterinum ejus genium toti orbi detexisset. Non
omne itaq; quod splendet, aurum est. Quid magis splendidum, quàm Nu-
mini sanctissimo, piisq; causis aliquid consecrare, pauperum necessitati oc-
currere, ærarium sacrum promoveri & augere? At si inanis gloriola, su-
perstitio vana, extorsio teçta, compendia vetita, hisce sese per cuniculos insi-
nuaverint; si exigui lucelli causâ tot animas cœlestibus thesauris defrauda-
veris; si sanctæ Ecclesiæ turpem quæstûs notam domi forisq; inusseris, quod
tantoperè splendebat, suspectum adulterinumq; deprehenditur esse numisma.
Quamobrem cum antehac fugitivo oculo Cautum inspexerim Ærarium,
nunc modesto Sacrum sum contemplaturus, monetamq; ejus, an splendori
valor respondeat, aliquantulum lustraturus.

Adspires cœptis, Christe benigne, meis!

A a

S. I. A

§. I. **A** Vestibulo pedem promoturus, primùm Ærarii Sacri *Situm* circumspiciam. Facile autem eadem viâ, quâ Prudentiæ Civilis Magistri ad Civile ducunt, vestigia ipsorum legendo, ad Sacrum quoque accessus panditur Ærarium. Ingentem scilicet *necessitatem* laudati Scientiæ Civilis Doctores Ærarii ostensuri, Remp. omnem aut Principatum *corpus* quoddam esse perhibent, in quo Consiliarios vicem obtinere mentis, cui tota hominis pareat natura, *pecuniam* verò *rerum gerendarum nervum esse*, non sine fundamento statuunt. Pecuniâ quippe Reip. fines defenduntur, pauperes relevantur, bene meriti remunerantur, & alia publica negotia feliciter expediuntur. Cùm porrò *finis Reip. sit felicitas, sive vita quieta*, passim inculcante Aristotele; talem verò felicitatem optatamq; requiem sine potentiâ, quæ in divitiis & opibus sita est, obtineri non posse, testis est Tacitus, *IV. Hist. c. 74.* Scriptor gravissimus, dum ait: *Neg, quies gentium, sine armis; nec arma sine stipendiis; neg, stipendia, sine tributis haberi queunt.* Unde rectè quærit Thucydides *l. 2. Quid speres à milite exhausto ærario?* Hinc manifestum est, Remp. instructo opus habere Ærario. Nihil enim autoritas Magistratûs valebit, nihil majestas juvabit, nihil, quantumvis sanctissimæ, proderunt Leges, nisi idoneæ adsint opes, quibus & autoritas fulciatur, Majestas stabiliatur, Legibusq; integer constet vigor & debita iisdem deferatur obedientia. *Majestas namque Principis sine pecuniâ, est sicut ira sine viribus.* Et uti *paupertas* reddit privatos homines, etiam bonos, despectos; ita magis Principes, & Subditis & vicinis contemptos. Huic argumento roborando inferviunt quoq; Rerump. bene constitutarum *exempla*, quæ Ærario instructæ, hostium etiam potentiæ feliciter restiterunt, hoc verò destitutæ, extrema passæ sunt, Conf. *Selwinger Dissert. de Ærario p. 500. Besold. Discurs. de Ærario pub. p. 2. & copiosè Klock. l. 1. de Ærar. c. 1. n. 59. sqq.*

§. II. His, quæ pro adstruendo Ærarii Civilis usu adducta sunt, documentis vel leviter inflexis, conspicua etiâ erit ingens nostri, quod *sacrum* vocamus, *Ærarii necessitas*. Sive enim *domum DEI* amplam, *2. Timoth. II. 20.* sive *Templum* sanctissimi Numinis, *1. Tim. III. 15.* divini oribus præviis literis, Ecclesiam dixeris, ut structura ejus facta tectaq; maneat, juncturis pecuniarum, fulcrisq; redituum eam opus habere, nemo, nisi sacre rudis Architectonicæ, in dubium vocabit. *Columnæ* quippe ejus, quarum nomine *insignes Ecclesiæ* veniunt *Doctores Verbiq; Pracones, Apoc. III. 12. Gal. II. 9.* quibus tota incumbere videtur moles, *2. Cor. XI. 28.* nisi honestæ sustentationis innitantur basi, in profundum mersæ, oneriferendo succumbunt; Vel tempore, quod edax est rerum, corrosæ, laborum-

borumvé assiduitate quassata, aut vehementi morborum turbine fracta, nî maturè, in Seminariis pietatis arbusculæ plantata & liberali tatis imbre humectata, illis nutantibus substituuntur, præsentissima ad est ruina, tristissimusq; casus tam splendidum excipit ædificium; qui deniqve magno numero ad limina ejus excubant pauperes, nisi elemosynarum protegantur umbrâ, ardore calamitatum exhausti, miserè contabescunt. *Quemadmodum itaq; homo sine anima, ita Ecclesia sine dote seu necessariis redditibus, consistere haudquæquam potest. Carpz. Jurispr. Consist. l. 2. t. 20. d. 313. n. 1.* Nec desunt Ecclesiæ tam veteris illius, quàm recentioris exempla, quæ semper instructa ærario, non solum pauperum occurrebat inopiæ, sed ingruente subitâ belli, aliâvé calamitate, hinc depromendo, pericula avertibat, 2. Reg. XII. 15. *Conservatio enim sanguinis Christiani, & periculi aversio, quibuslibet rebus pretiosior esse censetur, ut tradit Imp. l. 21. C. de SS. Eccles.* Quæ verò contra Ærarium sacrum, bonorumq; Ecclesiasticorum possessionem, adducuntur incommoda, ea dissipavit *Carpzov. Jurispr. Consist. l. 2. t. 19. d. 298.* *Selwinger Dissert. de Bonis Eccles. p. 563. sq.*

§. III. Cognito jam Ærarii Sacri Situ, ut porrò illud eò commodiùs contemplari liceat, *valvis ambiguitatum*, quæ non rarò mentem erroneis involvunt tenebris, à *fenestris verum nominibus*, remotis, radios perspicuitatis solaris intromittere juvabit. Quatuor verò plagis mundi, singulas opponit *γὰρ ζοφύλαξ* nostra *χῶρ* fenestras; quarum prima, quæ Ortum respicit, *Originem Vocis* detegit; altera Borealis obnoxia tempestatibus, obductâq; densâ intempestæ noctis caligine, sæpiusculè obscuriorem rei tradit *originem*; quæ huic, sinistram versus, vicina, Sole infra Horizontem sese mergente, *ambiguum* præbet *lumen*; ultima deniqve *Austrum* spectans, *lucæ Synonymorum* clarissimè totam Ærarii regionem illuminat.

§. IV. *Primum* itaque expendenda sese offert *Etymologia*, seu *vocis origo*. Ærarii vocabulum, Romanis solenne, ab *ære* suos ducit natales, eò quòd Romani primò æs signârint, receptaculumq; ejus publicum Ærarium dixerint. Hæc plerumque derivationis redditur ratio, quæ si intra suos se contineat limites, probatur; si verò ultra hos processerit, oppidò fallit. Longè enim ante Urbem conditam æs atque monetam æream in usu fuisse, gravissimi testantur autores. Plurimi æris primò signati inventum *Jano* adscribunt, qui *Macrobio* teste, multò ante Urbem conditam in Latio regnavit. *Lactantius Firmianus l. 1. de F. R. c. 13.* inquit, senem Saturnum à juvene Jove filio victum & spolia-

tum Imperio, fugisse expulsus, & in Italiam navigio venisse, cum errasset diu, ut & Ovidius refert, 1. Fastorum:

*Causa ratis superest, Thuscum rate venit ad amnem,
Ante pererrato falcifer orbe DEUS.*

Hunc errantem atque inopem Janus excepit, cujus rei argumenta esse numos veteres, adhuc obvios, in quibus in altera parte Janus bifrons, in altera navis effigiata conspicitur, referente Casilio Romano, de Prof. Rom. Rit. c. 17. p. 98. sqq. Uberius declarat Polyd. Verg. l. 2. de I. R. c. 20. ex Macrobi. l. 1. Satur. c. 7. idem tradit Carolus Stephanus, Dictionar. p. 1029. Consentit Ovid. 1. Fastorum:

*Multa quidem didici, sed cur navalis in ære
Altera signata est, altera forma biceps?
At bona posteritas puppim formavit in ære,
Hospitis adventum testificata DEI.*

Infert:

Conciliat deinde, laudatus autor Polydor. Verg. sententiam Plinii, qui Servium Regem Rom. æs primò signasse dicit, nempe id ita accipiendum esse, quòd primùm apud Romanos æs signaverit, vel primùm ovium boumq; effigie adeoq; notâ pecudum, unde & pecunia appellata. A materia ergò, quâ cœpit, per Metonymiam Ærarium nomen retinuit, ubi ære repudiato, in monetæ materiam aurum & argentum substitutum est, appellationem suam per Synecdochen tuetur.

§. V. In ipsius rei si inquiras originem, hæc ut plerarumque aliarum rerum, sic Ærarii quoad antenus obscurior esse deprehenditur. Injuriam siquidem temporum factum, ut optimorum etiam & in vitâ humanâ utilisimorum inventorum primi lateant autores, sicut crebra est eorum querela, qui in prima rerum inquirunt incunabula. Sunt qui primam Ærarii originem Minyæ, Chryse filio, quem Minyis imperitasse, & primùm condendis pecuniis thesauri locum munivisse dicunt, cum Zachar. Fridenreich / citante Selwinger: Dissert. de Ærario p. 477. attribuunt. Hic enim Minyas, cum mortales omnes, suæ ætatis, opibus superaret, primus omnium Gazophylacium, recondendarum pecuniarum gratiâ extruxisse fertur, teste Pausaniâ, vid. Cæl. Rhod. l. 20. c. 25. & ex his Carol. Stephan. Dictionar. p. 792. Romani verò primum Ærarii conditorem Valerium Poplicolam statuunt, qui loci opportunitate ductus, cum omni aditu præseptus, undiqve præruptus, & ab accessu probè munitus esset, Saturni ædem construxerit, Tholos. l. 3. de Rep. c. 3. n. 4. citante Selwinger: Dissert. de Ærario p. 477. Ærario sacro, in Ecclesiâ veteri, originem dedit divinitus imperata, ex justis Ægyptiorum spoliis,

liis, Mose promulgante, spontanea collecta, auxit opima *Madianitarum* præda, Urbis *Jericho* anathema amplificavit, ad fastigium perduxit *Davidis* & *Salomonis* munificentia, *Exod. XXV. Num. XXXI. 50. sqq. Jos. VI. v. 22. I. Chron. XXIX. 2. sqq.* Arcam verò, in quam spontanea immittebantur munera, primus *Jojada* collocasse dicitur ad dextram altaris, ingredientium domum Domini, aperuitq; foramen desuper injiciendis pecuniis aptum; quanquam & ante ipsum hanc consuetudinem viguisse, probabiliter colligi possit. Hic autem usus arcæ propagatus est in Templum *Zerobabelis*, & vim suam obtinuit etiam sub exordium Ecclesiæ *Messianæ*, sicut sacra testatur historia, *Luc. XXI. 1.* Caput verò ipsum Ecclesiæ, *Sospitator* perditæ gentis humanæ, possessor omnium, quos cœlum & terra recondunt, thesaurorum, dum humilis degeret in terris, nihil possidens, ex liberalitate aliorum vixit & egenorum inde curam gesit: Hinc *Nicetas* ad *Nazian.* Orat. 16. de amore pauperum: *Crumentam Christus ob id habebat, ut ea, quæ à quibusdam ipsi offerebantur, suscipiens, indigentibus rursus spargeret: imò in suam etiam & Apostolorum suorum necessitatem impenderet.* Domino in cœlos sublato, *Apostolorum* providâ curâ, *conversorumq;* spontaneâ alacritate, novum fundatum est *Ærarium*, quod seculorum aliquot decursu, industriâ virorum *Apostolicorum*, intra spem & metum conservatum, insigni liberalitate *Philippi Arabis* (quem *Rom. Imp.* primû Christo nomen dedisse, agentibus his, negant alii, *Baron. ad A. C. 249. Spanh. Isag. ad Hist. N. T. p. 357. Euf. l. 6. Hist. & Scal. in Euseb. citante Bunone ad Secul. III.*) auctum, munificentiam denique *Constantini M. &*, qui ipsum secuti sunt, Principum Christianorum, ad summum usque repletum fuit. Ecclesias namque à *Const. M.* tempore demum possidere cœpisse: 1. *Thesauros.* 2. *Vasa omnis generis aurea & argentea.* 3. *Vestes pretiosas.* 4. *Villas & prædia.* 5. *Decimas.* 6. *Reditus.* 7. *Tributa & vectigalia.* 8. *Fruementum.* 9. *Arces.* 10. *Territoria.* 11. *Libertas & servos,* testis est *Hospin. de Templ. p. 495.* Quo autem tempore *gazophylacia* in *Templa Christianorum* sint introducta, licet distinctè dici non possit, antiquum tamen eorum usum esse, testis est *Chrysost. Serm. de Eleemos. & Collat.* Apostoli verò in suis cœtibus, cum *Templis* carerent, ejusmodi arcas non habebant, nec conversi sua munera occultè, sed apertè in commune *Ærarium* conferebant. Successu temporis fideles occultè suas oblationes deponebant, ut alius nesciverit, quid alter in arcam immiserit. Vanitate deinde offerentium, vel *Sacerdotum avaritiâ*, eò res devenit, ut publicè *Diaconus* offerentium nomina recitaret ac enunciaret, quantum quisque detulisset, ex umbone clamans:

Ille

Ille tantum pollicitus est: ille tantum obtulit. Quod Hieronymus & alii Patres deinde graviter reprehenderunt, *Hospin. p. 476.*

§. VI. Originem Nominis & Rei excipit *Ærarii varia usurpatio.* Non accipitur h.l. *Adjectivè*, sicut *lapis* dicitur *ærarius*, ex quo æs coquuntur, *Plin. l. 34. c. 12.* *Tribuni ærarii*, qui militi pecuniam erogant, quam in *Ærarium* *Quæstores* intulerant, *Varro, l. 4. de LL.*; Sed *Substantivè*, non quidem Genere Mascul. quâ ratione *Ærarii* Romæ dicebantur, qui nullum aliud habebant in Curia & Tribu suâ jus, quam ut pro capite suo tributi nomine æra penderent. Hinc formulæ: *Facere ærarium*; *inter ærarios referre*, h.e. aliquem, qui Civis esset, Tribu suâ movere, sive jure Tribûs privare. Et vicissim: *ex ærariis eximere*, i. e. juri suo restituere. Restat ergo Genus Neutrum, quâ formâ *Ærarium* S. accipitur vel Metonymicè, pro loco, in quo recondita est illa pecunia ad usûs sacros collecta; vel pro arcâ, in quam munera spontanea immittuntur; vel pro ipsâ pecuniâ publicâ, rationibus licitis, in pias causas coacervatâ, quæ significatio magis attenditur. Deinde usurpatur vel *inadequatè*, id quod; vel nimis *strictè*, prout restringitur ad pecuniam ex eleemosynis collectam, personis miseratione dignis erogandam; In *Constit. Eccles. Sax. Art. Gener. XXXIV. de Ærario Eccles.* ubi hæc clausula additur: *Solch Geld sollen nachmals die Kasten-Herrn frembden gebrechlichen Leuten / nach Gelegenheit des Schadens / treulich und mildiglich austheilen / und zu keinem andern Nutz wenden.* Vel aliquantò *latius*, pro pecuniâ in cœtibus Ecclesiasticis & alibi collectâ, in quibus expensas occurrentes Templorum & Ministerii, Scholarum & ordinis informatorii, deputatâ, in modò laudatis *Constit. p. 288.* Vel *latè*, non solû pro pecunia, auro & argento, sed omnis generis oblationibus, de vino, oleo, similâ, & id genus aliis, quæ in certis cubiculis atque conclavibus Domûs Domini ad usum cultumque divinum asservabantur, *Hafenref. in Templo Ezech. de Thesauris Domûs Domini, p. 21. Conf. I. Paral. IX. 29. Jer. XXXV. 2. II. Paral. XXXI. 11.* Sed ne hoc quidem modo totum *Ærarii* latifundium exhauritur, addendum proinde *adequatè* sumi pro universis redditibus, bonis atque dote Ecclesiæ, includitque simul rationes illud conservandi & augendi per largitiones, collectas ordinarias & extraordinarias, aliosque modos, pietati & justitiæ, consentaneos. Quam acceptionem innuit *D. Carpz. Jurispr. Consist. l. 2. t. 20. d. 313. n. 1. sq.* locus *Nehem XII 44. c. XIII. 4. 5.* probat, res ipsa svadet & scopus præsentis Dissertationis requirit.

§. VII. *Ultima* tandem, quæ *Austrum* respicit, *Synonymia* nomine insignita, aperienda mihi restat *fenestra*. *Varia* verò æquivollentia, quibus

bus Ærariū exprimitur, in diversis lingvis adducuntur vocabula. Ebrais
 dicitur תרומה, notatq; thesaurum, gazam. Vulgatus etiam תרומה vertit per
 gazophylacium, 2. Reg. XII. 10. Vocatur & תרומה Mal. III. 10. Neh. XIII. 13.
 תרומה gazophylacium illud magnum, Neh. XIII 5. Scriptoribus N. T.
 Ærarium illud, in quod Templum ingressuri sua conjiciebant munera,
 dicitur γαζοφυλάκιον Marc. XII. 41. Luc. XXI. 1. Joh. VIII. 20. Est autem
 idem ac θησαυροφυλάκιον, ex Persico & Græco conflatum, notatq; Æra-
 rium, Fiscum & quodlibet, in quo opes custodiuntur. *Quamquam apud
 Johann. per γαζοφυλάκιον regionem Templi, conferendis oblationibus de-
 stinatam, intelligendam esse, præter alios magni nominis viros, unicâ vocu-
 lâ additâ, perspicuè explicat Nonnus, Angelo Politiano mirificus, Casau-
 bono eruditissimus, à doctissimis quibusq; maximo semper in pretio habi-
 tus, & anteqvâ innocuo sæda Arianismi adpersa fuisset labes, in bene con-
 stitutis Christianorum Scholis receptissimus atq; tritissimus, Poëta. Conf.
 Exc. Stolb. Collat. Metaphr. Nonni cum Aristar. S. Heinsii M. S. Lauda-
 to quippe Poëta, quod Johanni γαζοφυλάκιον, est γαζοφύλαξ χωρῆς, lo-
 cus nempe, ubi erat gazophylacium. Et sanè quæ Sylburgius, ex Gerardo
 Falckenburgio, in laudem Nonni adducit verba, scil. Sæpe unum Nonni
 epicheton aliorum proluxa Commentaria superare, ad præsentem locum
 quàm optimè accommodari possunt. Dietericus Antiq. V. & N. T. ad vocem
 γαζοφυλάκιον annotat: Fuisse in Atrio secundi Templi strueta conclavia,
 cum ad thesauros, vasa & supellestilia servanda, tum ad Sacerdotum &
 Levitarum custodiam & commorationem; in his primitias & decimas Le-
 vitarum fuisse repositas & conventûs institutos; huc confluisse, qui ex voti
 Lege sacro Ærario inferebant. Conf. Hafensref. in Templ. Ezech. p. 20.
 Dum ergo Christus in Gazophylacio verba fecisse legitur, de regione illa,
 in quâ gazophylacium erat positum, ex laudati Metaphrastæ Johannis est
 accipiendum, seu de illâ Templi regione, quæ oblationibus conferendis erat
 destinata, vel ubi erat capsula seu arcula illa, in quam elemosynas & mune-
 ra sua conjiciebant. Pastor in voce φύλαξ. Sed redeo ad reliqua Synony-
 ma Metonymicè Ærarium vocatur δῶρον, Luc. XXI 4. ἐβαλον εἰς τὴν δῶ-
 ρα τῆς θεῆς: injecerunt in dona DEI, i. e. in gazophylacium, ubi asserva-
 bantur munera & elemosynæ tales, quæ dicuntur dona DEI, h. e. DEO
 consecrata. Cypriano, de Oper. & Eleem. & Ep. 60. Corbonæ dicta gazophy-
 lacia, ad recondendas oblatas pecunias positæ, ex Matt. XXVII. 6. Syro*

תרומה אֲמַר לְכֹהֲנָיִם וְלִלְוִיִּם וְלִכְהֹנָתִים וְלִכְהֹנָתִים
 אֲמַר לְכֹהֲנָיִם וְלִלְוִיִּם וְלִכְהֹנָתִים וְלִכְהֹנָתִים
 B cui

ii
 o.
 i-
 in
 on
 l-
 io
 er
 re
 re.
 o-
 e-
 sâ
 ni-
 ni-
 m,
 Ge.
 ol-
 be-
 em
 le-
 Mi-
 tis
 nis
 er-
 vi-
 ni-
 oc
 in-
 in-
 es,
 ia,
 l. 2.
 det
 ine
 vi-
 bus

cui respondet Hungaricum Kéne hász. Arabibus dicitur كَنْز
à radice كَنْز thesaurizavit, recondidit. Sauromatis est
Skarb, Bojohemis Pofladnice. Illud tamen monendum, enumerata
hactenus Synonyma etiam Civili Ærario applicari posse, sic Estheræ III.
v.9. Camera regia των θησαυρων dicitur γαζοφυλάκιον. I. Maccab. III.28.
de Anticho dicitur: ἠνοιξε τὸ γαζοφυλάκιον, aperuit ærariū suum; quæ
re opus restrictionibus, ceu sunt: Sacrum, Ecclesiasticum, Templi &c.
ærarium, Arca Numinis, Prudentio. Θησαυρὸς ἱερὸς; Skarb Kóscielny,
Skarbnica Swianta; Pofladnice Swata/Kostelna. Appositè Germani,
Kirchen-Gottes-Kasten/das Allmosen &c. ab origine, vel fine vocant.

§. IIX. Sed res tempusq; hortantur, ut me aliquando intra can-
cellos, quibus septum munitumq; est Ærarium nostrum, recipiam, quos
cūm alii plus justo laxent, alii nimis constringant, mediâ, quæ tutissi-
ma, viâ incedam. *Nomine itaq; Ærarii Sacri mihi veniunt omnes redditus,
DEO autore, Magistratu administratore, spontè & rectè piis causis dicati,
bonâ fide conservandi, concessisq; rationibus augendi.* In more positum ha-
bent, qui aliquod suscitant Ærarium, in quod prætereuntium injicienda
sunt munera, aliquam eidem appendere tabellam, insignibus atqve si-
gillis primi fundatoris munitam, variisq; lemmatis & emblematis, ad
liberalitatem invitantibus, conspicuam; nec nostrum, quod Sacrum au-
dit, ornamentis atqve regalibus hujuscemodi destituitur Ærarium. Cer-
nitur namq; supra illud summi Fundatoris, sceptrâ tenentis, Numinis
sanctissimi effigies, cum lemmate: REDDITE DEO, QUÆ DEI SUNT, Matr.
XXII. Providus quippe ille Divinitatis oculus, omnibus necessaria suf-
ficiens, Ecclesiæ quoq; suæ de propriis & peculiaribus bonis, quæ ad il-
lius administrationē impenderentur, liberalissimè, inde usq; ab initio,
semper prospexit. Constitutâ siquidem Politiâ Judaicâ & Ecclesiâ suâ in
certam quandam formam redactâ, tribum Leviticam, cui Sacrorū & Ec-
clesiæ administratio commissa erat, non quidē hæreditate, redditibus ta-
men optimis & opimis, quò videlicet omni rei familiaris curâ libera-
tantò commodiùs rei divinæ vacaret, instruxit; Siclum deinde sanctum
usibus sacris assignavit, gazophylacium insuper, tanquam quotidianum
liberalitatis exercitium, in Templo collocari curavit, munificos deniq;
Nutritios Ecclesiæ Judaicæ pariter & Apostolicæ, qui ejus promove-
rent commoda, suscitavit. Hic itaq; fons perennis est bonorum Ecce-
siasticorum. *Conf. Hospin. de Templ. l.5. c.1. p.474.*

§. IX. Objicitur deinde oculis spectantium in Ærario nostro Na-
trix, buccèâ, ori insertâ, infanlulū pascens, cum inscriptione: *Erunt Re-*
ges

ges nutricii tui, & femina, Principes eorū, nutrices tuae, Es. XLIX. 23. Licee enim tenera, quam Apostoli plantaverant, Ecclesia, direptionibus & persecutionibus Tyrannorum subjecta fuerit, ut sic purpureo Martyrum sæpius madefacta imbre, eò felicius adolevisset, calamitatumq; excocta aestu, eò citius maturuisset; fideiū tamen, recens conversorum, liberalitas ejus succurrebat necessitati, quorum vestigiis, seculis sequentibus, cum Draco ad palum infernalem fuisset alligatus, qui divino jugo colla salutari humiliatione submiserant Principes, cum lautior eis esset fortuna, annuis redditibus Ecclesiam dotarunt. Hos inter primus Christianorum Imp. agmen ducit Constantinus M. qui non solum erepta, tempore persecutionū, restituit, sed multa insuper de novo addidit, bonaq; Ecclesiae mirum in modum auxit, de quo *Mant. l. 12. Pastor.* ita canit:

*Cesar hic in nostram gestans pia pectora gentem,
Immensas donavit opes, vasa aurea, fundos,
Unde Sacerdotes magnis proventibus aucti.*

Hic maximis sumptibus Tempora Scholasq; suscitavit, & Ministris Ecclesiae de stipendiis lautis, cum antea ex stipe collata sustentarentur, prospexit. Post hujus excessum largitionibus Imp. Regum, Reginarū, aliorumq; Principum; Episcoporum liberalitate; fidelium contributione; delinquentium multatione; villarum & prædiorum emptione, & morientium, sed citra præjudicium hæredum, legatione, supra modum auctum est Ærarium Ecclesiasticum, *Hosp. p. 479. 489.* Donatio illa solennis, Constantini dicta, ni domesticorum voce & calamo esset oppugnata, & Nostratum industriam planè expuncta, à me legitimis possessoribus non eriperetur, *Hosp. p. 488. sqq. Centur. M. C. IV. c. 7 p. 576. de Montesper. p. 77.* Repetenda Ludovici Vives, Scriptoris Pontificii justa querela: *Dolendum est, quòd in res sacras tanta mentiendi libido irrepserit.*

§. X. Hinc sponte suà sequitur, *Inspectionem Ærarii Sacri Magistratui supremo, Principibus item & Ordinibus Protestantium, jure, quo gaudent, Sacrorum, ac Episcopali, in foro Ecclesiae exteriori occupato, competere, juxta celebre Const. M. dictum: Vos estis Episcopi in Ecclesia, ego extra Ecclesiam, seu templum, Episcopus à DEO sum constitutus. Euseb. l. 4. de Vit. Const. M. c. 24. B. Dannh. T. I. P. II. Theol. Symbol. q. 5 p. 889.* Arnisaum & Carpz. hoc argumentum tam accuratè & copiosè pertractasse asserit, ut sibi nisi spicilegia relicta esse dicat; at si laudatis modò, juncti fuerint: *Faber libb. tribus de Relig. regenda in Rebusp Henninges lib. uno, de Summâ Imp. Rom. Potest. circa Sacra, Fetswinger Diss. de Relig. & Bonis Eccl. Ludov. de Montesper. 110, ut dicitur, in Vindic. Pacif. Osnabr. & Monast. qui nihil eorū, quæ hanc materiam exalciarent, omiserunt; mihi ne ari-*

Ita quidem residua mansit. Verè Socrates Historicus l. 5. Præf. dixit: Ex
 quo Imperatores facti sunt Christiani, res Ecclesiæ ab iis dependisse. Nam ut
 de veteri Judeorum Rep. aliquid dicam, non est operæ pretium, cum in solis
 disco positum sit, Reges & Magistratûs illius, non citra laudem & divina
 præmia, religionis & Sacrorum curam suscepisse. Theodosius, morti jam
 vicinus, teste Ambrosio, potiozem Ecclesiæ, quàm Imperii curam egit.
 Justiniani plurimæ constitutiones in rebus sacris occupatæ, in specie
 de bonis Ecclesiasticis, l. 1. C. de Episc. & Cler. Præsertim verò vox ejus me-
 moratu digna adhuc celebratur: Non minor nobis cura est horum, quæ
 sanctissimis Ecclesiis profunt, quàm ipsius anime. Nov. 3. Licet verò non pa-
 rum, per superbiam atq; contumaciam Præsulum Romanorum, jus hoc
 sacrorum sit debilitatum, nunquam tamen Principes omni potestate
 exui poterant, vel ipsâ Ecclesiæ Romanæ Advocatiâ, ex priori jure ser-
 vatâ, teste. Temeraria proinde Cleri Romani est audacia, qui Imperato-
 res Sacrosanctos, Principesq; meritis in Ecclesiam Illustres, qui olim de
 rebus sacris dispoluerunt, easdem dotarunt ac munierunt, ab inspe-
 ctione Ærarii Sacri arcent, atq; ex Principum liberalitate eos conte-
 mnendi & despiciendi occasionem arripiunt. Quam ingratitude, cum
 justâ denunciatione pœnæ, Pontifici Maximo, Cardinalibus &
 Prælati aliis, Avenione congregatis, festivo, de ave implumi Apologo
 aliarum commiseratione plumis ornatâ, quam deinde superbientem
 & alias rostro ferientem, indigna undæ aviculæ, evulsis, quas antea
 contulerant, plumis, nudam deseruerunt, Joh. de Rupescilla Monachus,
 pro concione, A. 1360. objecit. Hospin. de Templ. p. 497. referen-
 te, ex Frossardo, in suâ Histor. l. 1. c. 21. & l. 3. c. 24.

§. XI. Administrat autem Magistratus hoc jus suum Episcopale,
 cujus non postrema pars est Ærarii inspectio, per Curatores Ecclesiæ seu
 Præfectos arario, Germanis Kirchen-Borsteher / Kirchen-Bäter / Kasten-
 Herren. Quorû Qualitas & Munia expendenda. Quantum ad illas, sint
 Viri honorati, Dei timentes, honesti studiosi, recti tenaces, vitæ inculpatae
 & conscientia bonæ, quorum incorruptus animus vi avaritiæ & cupidita-
 tis non possit expugnari. Tales autem, juxta Politicorum monita, ple-
 runq; sunt, qui & ipsi privatas opes satis magnas habeat. Munia porro
 eorum sunt, ut accepta & expensa in libros Rationum fideliter refe-
 rant, quotannis, præsentibus iis, qui sunt deputati, rationes deponant,
 debita maturè monendo exigant, cum abundantiam justum lucrum fa-
 ciant, ob suspicionem vitandam claves separatas habeant, inq; o-
 mnibus officium Tutorum diligenter faciant. Vid. Constit. Eccles.
 Augusti Elect. Sax. Art. general. XXXV, p. 361. Carpz. Jurispr. Consist. l. 2.
 c. 29. d. 313. 314. 316. 318.

§. XII.

§. XII. *Ingredientia* Ærarii Sacri non solum sunt thesauri auri, argenti, ve rudis vel signati, vasaq; pretiosa; sed omnia ea, quæ munificentia Principum in dotem atque patrimonium Ecclesiæ consecravit, pro genio cujuslibet regionis variantia. Hinc quædam Ecclesiæ agris, prædiis, villis, hortis & vineis dotatae; aliæ decimis, frumenti copiâ, molendinis, aurifodinis, officinis variis, auctæ; aliæ piscinis, nemoribus, armentorum oviumq;ve gregibus, apum operosis examinibus, unde non exigui ad Ecclesiam redeunt fructus, instructæ; quibus hæc desunt, ingentem pecuniæ vim, à Principibus, Proceribus, aliisque opulentis depositam, possident, quæ ne facile exhauriretur, eam in censibus annuos elocando, novis accessionibus Ærarium augent. Accedunt largitiones spontaneæ, collectæ item ordinariæ & extraordinariæ, liberæ dispositioni Ecclesiæ, prout commodum videretur, relictae. Sedulo tamen cavendum, ne aurea libertas, in plumbeam degeneret licentiam, leveq;ve lucellum, ponderosas easq; æternas eripiat opes.

§. XIII. Quemadmodum autem quælibet Resp. pro insigniorum, quibus gaudet, splendore, propriam quoque, horum effigie coruscantem, percutit monetam; sic Ærarium sacrum sibi peculiare possidet numisma. Ærario Ecclesiæ Judaicæ primus fundator Deus, penes quem jus summum circa monetam erat, Siclum designavit, effigie & inscriptione splendidum. Argenteus hic erat, Siclum designavit, effigie & inscriptione splendidum. Argenteus hic erat, isq; semuncialis numus, in cujus latere altero erat *forma vasculi* illius, quod Mannâ plenum in sacrâ Arcâ, Dei jussu, Moysi q;ve ministerio, ad seculorum memoriam atque monumentum adservabatur; in altero autem *Ramus* ille *admirabilis*, sive Aaronis Virga, quæ inter murmura, quando Sacerdotalis dignitas ab æmulis obtrecebatur, cum reliquarum tribuum virgis collecta, postero die florebat & Amygdala proferebat; ex altera parte inscriptionem habebat; קדש לשם יהוה ex alterâ קדש לשם יהוה sicut tradit Moses Gerundensis, & ex illo Arias Mont. citante Hafenref. in *Templ. Ezech. p. 66. Job. Zemifces* Græcus, primus omnium Impp. *solidos aureos*, obolosq; Salvatoris nomine signari voluit, & in eorum altera parte hæc verba inscribi: CHRISTUS REX REGUM: quod & subsequentes observârunt Impp. Baron: ad A. 549. Ubi Spondi. n. 2. Numisma pariter nostri Ærarii est *aureum*, in cujus alterâ parte conspicitur *cor apertum*, cum inscriptione: SPONTE; in altera cernitur *columba* irretorto sinceræ intentionis oculo serenum Divinitatis solem adspiciens, cum inscriptione RECTE. Si horum vel unum defuerit, adulterina est moneta, à summo Ærarii sacri fundatore proscripita. Nil effigies, nil inscriptio proderunt, si pro genuino falsum supponatur metallum. *Qui pauperes vestit, sed pannum ac corium furatur pro his vestibus; exuviis D. Petro detractis, D. Paulo induvias præstat*, ingratum munus Deo confert. *Drexel. de Rect. Int. l. 1. c. 3. Non est putanda eleemosyna. si*

pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus recipitur, quia qui hac intentione male accipit, ut quasi bene dispenset, gravatur potius, quam iuvatur. *Can. 27. Caus. I. q. 1.* Qui alacriter aurum, fundos, prædia, piis consecrat causis, superstitione quâdam ductus, ut sic impunè peccare liceat, vel eò citius anima ejus & sanguine junctorum ex confectis ignis purgatorii flammis redimatur, utq; cœlestia pecuniis meretur bona; rectâ destituitur intentione, optima quantumvis & spontanea vitiavit dona. Optimè dicere solitus Ambrosius: *Quantum intendis tantum facis.* Paupercula vidua minimum gazophylacio immittens, dum oculum rectæ intentionis unicè in Deum defixum haberet, maxima tumidorum Phariseorum non modò adæquavit, sed veritate ipsâ teste, longè superavit munera, *Luc. XXI. v. 1. seq.* Nil denique magis virtuti adversatur quàm *Coactio.* Non quidem Christiani, Christiana tamen vox est Senecæ, *l. 4. de Benef. c. 1.* *Inveniuntur, inquit, qui honesta in mercedem colant, quibusq; non placeat virtus gratuita: quæ nihil habet magnificum, si quid quam habet venale, cum virtus nec lucro invitetur, nec absterreatur damno, adeoque neminem spe & pollicitatione corrumpat.* Nec prorsus aberrat Canon: *Qui invitatus dat propter presentem pudorem, & rem & meritum perdit. Can. 4. Caus. 23. q. 6.* Quem deducunt ex Verbis Apost: *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut necessitate.* Hilarem enim datorem diligit Deus. *2. Cor. IX. 7.* Appositè Tertul. in *Apol. Si quod Arca genus est, non de onerariâ summâ, quasi redemptæ Religionis, congregatur: modicam unusquisq; stipem mensurâ die, vel cum velit, & si modò possit, apponit: nam nemo compellitur, sed suâ sponte confert, hæc quasi deposita pietatis sunt.*

§. XIV. *Scopus* quem Sacrum respicit *Ærarium piarum* venit nomine *Causarum.* Aurum enim Ecclesia habet, non ut servet, sed ut erogat, & subveniat in necessitatibus. *Can. 70. Caus. 12. q. 2.* Ad quatuor autem potissimum classes usus Bonorum Ecclesiasticorum commodè reduci potest: 1. Est sustentatio eorum, qui Ecclesiæ & Scholis operam suam consecrârunt, pauperum nempe Studiosorum. *Ne mole paupertatis præstantissima etiam ingenia opprimantur, juxta Alciat. l. 1. Embl. 15.*

*Ingenio poteram superas volitare per auras,
Me nisi paupertas invida deprimeret.*

Neve Reip. cui prodesse poterant, à suis neglecti, ab adversariis adjuti, noceant; quam presentis, sub cuius onere afflictâ gemit Hungaria, calamitatis. Proceribus Regni olim objecit, vir eruditione & dignitatibus Eminentissimus, Petrus Pazman. Evigilavit quidem posteritas, sed serò nimis admissum corrigere laborabat errorem, cum jam, juxta laudatum vatem, filii bonaq; majorum, in faucibus Patrum piarum Scholarum hæerent. 2. Est subsidium eorum, qui Ecclesiæ & Scholis operas suas actu jam præstant. 3. Exulum, aegrotorum & egenorum alimentatio ac captivorum redemptio. 4. *Ædium sacrarum reparatio.* *Selwinger de Bonis Euseb. §. 25.* Et
jam

jam circa A. C. 470. redditus Ecclesiastici in quatuor dividi ceperant partes,
Fetwinger l. c. ii. Can. 26. 27. caus. 12. q. 2. Hinc ultrò fluit, Bona Ecclesiæ in eum
usum, in quem fundata & ordinata sunt, convertenda esse; abusu vero irrepente,
in alium, non tamen alienum, sed æquè pium & sacrum, transeunt. Sic Collegia
Canonicorum & Cænobia, optimâ intentione, ad educandos nempe viros e-
ruditione claros, promovenda studia, præcipuè Theologica, castas modestasq;
fœminas alendas, fundata, utq; emeritis, ingravescente ætate, debita requies
concederetur; dum à scopo hoc longè declinavêre, optimo jure in Germania,
superstitione repudiatâ, religiosâ Principum prudentiâ, piis cesserunt usibus.
Hosp. de Orig. monachar: passim & in specie l. 4. c. 22. Hâc moderatione aliis im-
primis prævit, heroico spiritu excitatus D. Mauritius Saxonix Elector, Anno
1543. bona Clericorum ordini destinata, ad Scholarum erectionem accommo-
dans, quod pientissimi Principis institutum Sleidanus l. 15. hist. p. 427. pro mo-
re suo, dignè deprædicat, his verbis: *Quoniam juvenus est veluti seminarium tam
Ecclesiæ, quàm Reipublicæ, tres literarum ludos (laudatus Elector) instituit, Misena,
Merseburgi, (Grimmæ) Porta: singulisq; locis certum numerum attribuit adolescen-
tum; his omnibus victum præbet atq; vestitum, Magistris etiam annua stipendia sol-
vit, & in hunc usum applicat eorum Collegiorum proventus, in quibus aliquando Mo-
nachi vixerant & id genus alii. Quod exemplum & alii Principes pii secuti, bona
Ecclesiastica, abusu sublatô, in verum ac sincerû pietatis & Ecclesiæ usum con-
verterunt. Qui verò ea, quæ semel sacris sunt dicata usibus, nullo satis justo, ur-
gente casu, ad se rapientes, in privata convertunt commoda, gravissimis malo-
rum sese involvunt periculis. Panis namq; Christo ereptus malè concoquitur.
Nec sine veritate dicitur: Kirchenguth hat eiserne Zähne / es frisset eins mit dem
andern hinweg. Aquilæ pennæ, aliarum avium plumas, si misceantur, adurere
propemodum, & quodam modo devorare, pro comperto traduntur & viden-
tur: Sic qui sacra auferunt & in thesauris suis recondunt, nihilo ditiores eo no-
mine facti, quinimò propriam substantiam perdidêre, Lather, de censu, lib. 3. c. 18.
n. 52. citante Ludov. de Montesper §. 24. n. 151. Nec impune tulit ærarii sacri in-
vasor Heliodorus. vid. Theod. Thummius Tr. de Bonis Eccles. q. 9. p. 114. seqq.
Carpz. l. 2. Jurispr. Conf. def. 300. seqq.*

§. XV. Expendendus deniq; erit *Ærarii Sacri*, quo illud insignitur, *Titulus*.
Qui Templi Hierosolymitani, non stupendam duntaxat fabricam, sed & illa quæ
continebat memorabilia tradunt, in *Atrio mulierum* tredecim *cistas* seu arcas,
variis signatas titulis, collocatas fuisse perhibent, ut *alia* inscriptionem habue-
rit: *Arca columbarum*, in quâ argentum pro columbis coëmendis deponebatur,
alia holocausti, Sicli novi, Sicli veteris, & sic consequenter, Excell. Dassov. c. XI.
M. S. in Majem. 7. Nec otiosus est, quo nostrum coruscat *Ærarium* titulus, dum

SA-

Q. 11, 2052
SACRUM inscribitur. Hoc enim ipso non solum à Civili discernitur, sed sacratissimam illam, ex quâ primam ducit originem, fodinam, indice quasi digito demonstrat, usibus adhuc sacris quod sit destinatum docet, ne sacrilegas illi quispiam præterea inferat manus, hoc veluti clypeo munitur, eos insuper, qui illud defraudant execratione prosternit, imprimis verò ut sanctè constituatur, conservetur & augeatur, titulum perpetuum præse fert monitorem. Rationes augendi Ærarii civilis qui tradunt, ab Ærarii puritate omnia abesse volunt compendia, *Symmach. 10. Ep. 54.* Sedulo cavent, ne Ærarium fiat *Spoliarium cruentarumq; prædarum receptaculum.* *Klock. Tr. de Contrib. c. 18. n. 274.* Quanto magis à Sacro omnis injustitia exulare debet Ærario, *Ecclesia quippe quia estATRIX justitiæ, ac proinde nec in se, nec in alterum quicquam patitur fieri contra justitiæ.* Ærarium namque nostrum triplici illi omnis justitiæ moralis insistere fulcro, deprehendet, qui in subsidium sanctorum Ærarii administratorum praxin vocaverit, quos inter si unum Paulum adduxero, asserti veritas constabit. *Confer loca palmaria 2. Cor. VIII. 13. 21. Rom. XIII. 7.* Ex quibus ter geminum illud Ærarii stabilimentum, scil. *Honestè esse vivendum: Neminem ledendum: suum cuiq; tribuendum,* manifestè patebit. Mihi non amplius licet *ἕρῶν* transferre ad *ὕπῳ θεῶν*. Adseffores Curia Romanæ nimirum quandoq; curiosos esse in acquirendis Ecclesiæ facultatibus, plurimi abundè demonstrarunt, vide sis *Selwing: de Bonis Eccles. §. 41. 42. & Tr. peculiari cui tit. Ancupium pecuniæ. Carpz. Jurisp. Consist. l. 2. t. 19. d. 298. & t. 20. d. 322. Lud. de Montesq. §. 32. 33.* Adeo ut minimè aberrarit Poëta canendo:

Venalia Romæ

Templa, Sacerdotes, Altaria sacra, corona,
Ignis, thura preces; cælum esse venale, Deusq;

PORISMATA.

Ob chartæ angustiam nudè solum recensenda:

I. Probatissima Ærarii Sacri est moneta, quam Deus ordinavit: praxis Apostolica approbavit: Christianorum Principum pietas introduxit; Deus enim est prima veritas: Ecclesia veritatis vindex: Magistratus fidelis utriusque Tabulæ custos.

II. Resonante verbo quæ clangorem edit, etiam si admodum sit recepta, vix tamen *δοκιμασίαν* sustinet moneta. Tinnitu enim penetrante organa gravans, principem conventus sacri eripit scopum.

III. Suspecta moneta est quam mordax ærario gignit usura. Quia in sterili agro metit; nec facienda mala ut eveniant bona.

IV. *Purgat: & Indulgent: Annata, Pallia Misse,* feraces quidem fodinæ: metallum tamen quod hinc eruitur, licet speciem auri mentiatur, Stibium est, veneno mortifero obnoxium, moneta proinde, quæ hinc ærario infertur, est adulterina.

Tantum cum DEO! cui sit laus & gloria!

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

